

## ENVMERATIO LIBRORVM GALENI.

De paruæ pilæ exercitio libellus, à Val. Centanno tr. item Iano Cornario.

De cognoscendis curandisq; animi morbis seu affectibus, quos perturbationes Latini appellant, liber, Bernardo Donato interprete. Eundem dudum Io. Guinterius uerterat. Huius operis pars altera est qui sequitur liber. † Syluius hunc librū ac sequentē Pathologicis adnumerat.

De cuiusq; animi peccatorum seu uitiorum (nam de perturbationibus seu affectibus in praecedente libro dictum est, cuius pars est posterior) notitia atq; medela libellus, à Junio Paulo Crasso tr. & ab eodem recognitus.

De consuetudine & quod eius maxima uis sit liber Nic. Rhegio interprete, ex ueteri exemplari Græco emendatus, & plurimum auctus. alia quidem æditio luntarū, publicata anno 1550. è ueteritantū translatione Nic. Rheyij, ceu Græco exemplari nondum reperto, librum hunc emendatum præ se fert. Io. Bapt. Montanus libellum hunc ambiguum esse scribit, nimirum quod an genuinus sit Galeni dubitetur.

\* De sanitate tuenda (in tota hominis uita per omnes ætates) libri sex, Thoma Linacro interprete, ad antiquorum exemplariorum Græcorū fidem ab Hier. Donzellino recogniti. ¶ Leonharti Fuchsij Annotationes in hos libros excusæ sunt Tubingæ.

Ars tuendæ sanitatis, num ad medicinalem artem spectet, an ad exercitatoriam, ad Thrasybulum liber, à Junio Paulo Crasso conuersus, & ab eodem recognitus.

### P A T H O L O G I C I   L I B R I ,   Q V I   E A   Q V A E   A D   M O R B O R V M

¶ symptomatum naturam, discrimina, causas, tempora, & historias pertinent, cum in genere, tum partculatim exponunt. Est autem pars hæc medicinæ duplex: una historica, altera causa=rum assignationibus dedita.

DE differentijs & causis morborū symptomatumq; libri sex; quorū duo priores à Nic. Leoniceno, quatuor posteriores à Thoma Linacro olim sunt uersi, & ab Aug. Gadaldino ad Græcorū exemplariorū fidem plerisque in locis emendati. Eosdem omnes Gul. Copus olim interpretatus est: qui & olim cum alijs Galeni operib. excusi sunt: et Lugduni apud Gul. Rouillium 1530. in 16. recogniti partim ex annotationibus Augustini Ricci, partim aliorum doctorum medicorum iudicio: ijs quæ ambigua, uel minoris momenti erant, ad margines annotatis. Eosdem & Leonhartus Fuchsij cum suis enarrationibus publicauit: & ni fallor, etiam interpretatus est. Fran. Valleriolę Commentarios super iisdem Gryphius excudit Lugduni 1540. in 4. & rursus postea, ut audio, ab authore recognitos. Eorundem methodum condidit lac. Syluius, in tabellas sex ordine suo coniectā paulo fusijs, chartis sex paruis utrimq; impressis, item Leonhartus Fuchsij, chartis totidem basilicis, una parte impressis.

De differentijs febrium libri duo Nic. Leoniceno interprete, d.e. Eosdem Laurentius Laurentianus uertit: quos posteā accurate recognitos, & ex fide Græci exemplaris penè alios factos per Simonem Thomam, Gul. Rouillius excudit Lugduni anno 1530. in 16. cum adnotationib. ad margines. Eosdem Leonhartus Fuchsij Latinitate donauit, & commentarij illustrauit. Extant & Syluij commentarij in hos libros, & Hier. Cardani Contradictiones quædā libro 4. Contradictionum ab eo æditarum: & Hectoris Gibalti Galli commentarius.

De inæquali intemperie liber, Thoma Linacro interprete. ¶ Eundem Leon. Fuchsij commentario explicauit, & (ni fallor) etiam transtulit. Io. Morisotus epitomen in hunc librū Græcē & Latinē condidit. Io. Agricola Amonius Commentaria addidit, lac. Syluius scholia. ¶ Idem Syluius primo collocat hunc librum post tractationem de temperamentis, inter Physiologicos: & postea rursus cum pathologicis inter libros de morbis similaribus.

Demarafmo seu marcore liber, ab Augustino Gadaldino tr. item à Iano Cornario, & Victore Trincauelio.

De comate secundum Hippocratis sententiā (quo pacto comatis nomen apud Hippocratem intelligatur, ac quæ sit comatis natura) commentariolus, per Dominicum Montesaurum ex Græco exemplari & antiqua uersione restitutus. Eundem Janus Cornarius Latinum fecit. Hunc librum Græcē circa annum 1543. edidit Basileæ cum alijs quibusdam à se emendatis.

De Palpitatione, tremore, rigore & conuulsione liber, Ioh. Guinterio interprete, d.e. eundem Janus Cornarius, & Dominicus Montesaurus tr.

De difficultate respirationis lib. iij. à Iano Cornario tr. d.e. Eosdem olim Io. Vasleus uerterat.

De plenitudine (seu multitudine) liber, à Bartholomæo Syluanio conuersus, & ad uetusissimi codicis Græci fidem quibusdam in locis restitutus. Eundem olim Io. Guinterius tr. & Victor Trincauelius.

De tumoribus præter naturam liber ab Horatio Limano conuersus: item ab Augustino Ricco. iamq; olim à Iano Guinterio. Eundem Petrus Toletus lingua Gallica tr.

De morborum temporibus liber Ioh. Guinterio interprete, d.e. Idem liber, & alter de totius morbi temporibus, impressi sunt olim Basileæ, anno 1533. sine interpretis nomine: & mox sequentes.

## CATALOGVS PRIMVS, SIVE

te anno Parisijs, paucis quibusdā mutatis, & Io. Guinterij interpretis nomine adiecto. ¶ Sunt autē tempora morborū uniuersalia, quatuor, haec: Princípium, incrementum, status seu uigor, & declinatio, quibus tota morbi duratio perficitur.

De totius morbi (uel potius, De quatuor temporib⁹ morborū particularib⁹, seu de accessionum príncipio, incremento, statu & declinatione) temporib⁹ liber, Io. Guinterio interprete. Vide in mentione præcedentis libri De morborum temporib⁹.

De typis liber, ab Aug. Gadaldino, antiquorum exemplariorum Græcorum & ueteris translationis ope, tr. Eundem Aug. Riccus & iam prius Io. Guinterius tr. Typos appellant formas seu circuitus febrium.

Ad (contra) eos qui de typis uel de Circuitibus scripserunt, liber Io. Guinterio interprete. Eundem Victor Trincauelius tr. De causis procatarcticis liber Nic. Regino interprete, ex antiqua eius translatione d.e. Græcē desideratur.

In primum Epidemiorum seu de morbis uulgarib⁹ Hippocratis librū Commentarij tres, Hermanno Cruferio Campensi interprete, d.e. Princípium à Nic. Macchello latinitate est donatum. Eosdem, sicuti & sequentes omnes Galeni Commentarios in Epidemiorū libros Hippocratis, Io. Vasseus tr. qui Lutetiae primum excusi sunt anno 1545. deinde Lugduni à Gul. Rouillio 1550. in 16. Leonhartus Fuchsius quoq; tr. aliquot Epidemiorum libros, & Commentarios adiecit, qui iam olīm impressi sunt. Symphorianus Campegius Epitomen quandam in hos libros scripsit & Isagogen. Vide in Catalogo II. in Symphoriano. ¶ Sunt autem Epidemiorum liber primus & tertius uerè Hippocratis, & recte de morbis uulgarib⁹ inscribuntur: eosq; solos ab Hippocrate ad editionem scriptos putant. Secundum & sextum aiunt à Thessalo Hippocratis filio compositum ex schedis quibusdam seu tabellis, quas pater sibi tantum scriptas reliquerat: & huic ipsum quoq; Thessalum, aut etiam alios post ipsum, quædam addidisse putant. In his quidem per pauca de morbis uagantibus habentur, ita ut hæc inscriptio eis non conueniat. pleraq; autem ceu aphorismi quidam medicinales sunt. Quartus ut dictionis charactere cum secundo & sexto conuenit, ita cōtemplationis utilitate multò eis inferior est. Quintus & septimus manifestè spuri sunt. Hæc ferè Galenus à príncipio Comment. in sextum Epidemiorū. Commentarij quidem eius in secundum Epidemiorū conditi, quorum meminīt inter libros proprios, desiderantur.

In tertium Hippocratis librum de morbis uulgarib⁹ Commentarij III. Hermanno Cruferio interprete, d.e. Eosdem Io. Vasseus uertit. Vide supra in mentione Commentariorum in primum Epidemiorum.

In sextum Hippocratis librum de morbis uulgarib⁹ Commentarij sex, à Junio Paulo Crasso tr. & tertio recogniti. Eosdem Io. Vasseus tr. Vide suprà in mentione Commentariorum in primum Epidemiorum.

† Pathalogicos Galeni libros Iac. Syluius ita digeffit, ut primi ab eo ponantur, qui de morbis similarib⁹ tractant, ut liber de inæquali intemperie, de differentijs febriū, de marasmo, de tremore, &c. Postea, qui organicos morbos proponunt, ut consiliū pro puero epileptico, & liber de tumorib⁹: quamvis tumores ex eius sententia ad morbos communes referri possint. Tertiò qui de morbis communib⁹ agunt, ut Commentarios de fractis & luxatis ossibus. Postremò illi qui omne morborum genus complectuntur, ut libri de differentijs & causis morborum & symptomatum, in Epidemiorum libros cōmentarij, de typis, de morborum temporib⁹: & de dyspnœa. His etiam interserit Artem medicā: & libros qui Σημειωτικοὶ uerius quām Pathologicis sunt, ut de crisiis, de locis affectis, deq; loti differentijs & signis.

### SEMEIOTICI LIBRI, ID EST, DE SIGNIS, QVIBVS cum morbos & locos affectos dignoscere, tum futura prescire possumus.

**D**E locis affectis libri sex, Gul. Copo interprete, nonnullis in locis ab Aug. Gadaldino emendati: in quorum quarto capite tertio, ubi sermo habetur de angina ex luxatione uertebrarū colli, Annotationes quædam in uerba Hippocratis additæ sunt, excerptæ ex Commentarij Galeni in secundum Epidemiorum. Eandem Copi translationem Gul. Rouillius impreissit seorsim Lugduni 1547. cum scholijs per margines. Eosdem libros Leonhartus Fuchsius tr. & commentaria addidit. In eosdem Io. Agricolæ Ammonij Commentarios uidimus. Ex iisdem cōtrarietates aliquas continet liber quintus Contradictionum Cardani. ¶ Docenti libri dignoscere affectus eos, qui uisum & tactum effingunt. † Syluius, ut paulo ante dictum est, Pathologicis libris eos adscripsit: nos cum Montano Semeioticos facimus.

De pulsibus ad tirones liber, Hermanno Cruferio interprete. Eandem introductionem ad Teuthiam Martino Origorio interprete Gul. Rouillius excudit Lugduni in 16. anno 1550. cum scholijs marginalibus: ea scholia forte non alia sunt, quām quæ Iac. Syluius reliquit. † Iac. Syluius ad finem Physiologicorum librorum omnes qui de pulsibus sunt etiam adnumerat: melius uero Montanus, illū duntaxat qui de usu pulsuum est, Physiologicis: Cæteros, ut hunc & sequentes, Semeioticis adiungit.

De diffe-

## ENVMERATIO LIBRORVM GALENI.

De differentijs pulsuum libri quatuor.

De dignotione pulsuum libri quatuor.

De causis pulsuum libri quatuor.

De præcognitione ex pulsibus libri quatuor.

Omnis ab Hermanno

Cruserio tr.d.e.

De urinis liber spurius Iosepho Struthio Polono interprete d.e. ab Aug. Gadaldino. Eundem Janus Cornarius tr. † Sylvius hunc lib. ad Pathologicos refert, quod non laudarim.

De crisijs seu iudicijs libri iij. Nic. Leoniceno interprete, ab Aug. Gadaldino d.e. Eadem translatio recognita, excusa est Lugduni apud Gul. Rouillium in 16. anno 1547. capitibus distincta, cum argumentis & scholijs marginalibus. Eosdem libros Leonhartus Fuchsius edidit, ipse (ni fallor) interpretatus, cum commentarijs. † Sylvius hos quoque libros Pathologicis inferuit, quod non probamus.

De diebus decretorijs libri tres, Io. Guinterio interprete, ab Aug. Gadaldino d.e. Eadem interpretatio ex prima editione interpretis, absq; nomine eius prodit olim Basileæ anno 1533. scho lijs ad margines additis. Subiectuntur autem annotationes in singulos libros, quibus loci quidam ad Græcos codices emendantur. ¶ Io. Morisotus horum trium librorū Epitomen confecit, quæ reperitur inter Adnotationes eius in Aphorismos Hippocratis. Hieronymus Fracastorius de causis dierum criticorum scripsit contra Galenum: Hippocratem & Galenum contra Fracastorium defendere conatur Andr. Thurinus.

In primum Prorrheticū librum Commentarij tres, à Io. Vasseo tr. ab Aug. Gadaldino d.e.

In Prognostica Hippocratis Cōmentarij tres, Laurentio Laurentiano interprete, ab Aug. Gadaldino d.e. Explicantur in hoc tractatu propriæ indiciorū omnium uires, quæ ad præagiendū in acutis, cæterisq; qui ex ipsis fiūt, morbis, sumuntur. Symphorianus Campegius scripsit Epitome Cōmentariorū Galenī in Prognostica simul & Isagogen. Vide in Catalogo i.i. in Symphoriano.

De præagijs ex insomnijs sumēdis (uel, de dignotione ex insomnijs) libellus, Augustino Gadaldino interprete, bes chartæ. Eundem olim à se cōuersum edidit Io. Guinterius, tum hoc, tū Jani Autoniaci nomine, itē Janus Cornarius. ¶ Vide suprà in mentione libri de causis respirationis, inter libros Physiologicos. De præcognitione liber, à Iulio Martiano Rota tr. & ab eodem recognitus. Eudem tr. Janus Cornarius: item Leonardus Iacchinius, qui & Explanaciones addidit: librum in capita distinxit cum argumētis: Subiectq; apologeticam orationem, qua docet ut plurimum certam esse præcognitionem, si nihil delinquatur.

## LIBRI DE MATERIA MEDICA, HOC EST MEDICA- mentis tum simplicibus, tum compositis: quibus etiam ponderum & mensurarum ratio adiuncta est.

DE simpliciū medicamentorū facultatib. libri x i. Theod. Gerardo interprete, ab Aug. Gadaldino d.e. Eandē translationē seorsim excudit Lugduni Gul. Rouilliū anno 1552. in 16. e-  
mendatā ad Græcū exēplar per Philibertū Saracenū. Leonharti Fuchsij Cōmentaria in libros de medicamentis simplicib. excusa sunt Parisijs anno 1554. Typographus qui Parisijs anno 1555. Iac. Sylvijs Isagogē in anatomica impressit, pollicet se eiusdē Cōmentarios in libros de facultatib. medicamentorū simpl. daturū. Io. Dantzius hos libros in Epitome per dialogos rededit: & simpliciū facultates tabulis artificiosis distinxit. ¶ Ex his undecim libris quinq; priores generalē methodū cōpleteuntur iudicandi de simplicib. per qualitates primas & secundas, sapore, odores, et colores. Reliqui ordine alphabeti primū enumerat singulas stirpes earumq; facultates secundū methodū in superiorib. librī traditā, à sexto uidelicet libro usq; ad nonū. Nonus de terrarū ac metallorū facultate agit. Decimus de illis quæ ex animalib. sumuntur. Undecimo adduntur quæ superiori libro de medicamentis ex animalib. deerant: ac quæ ex mari & salinis aquis proueniunt.

De substitutis medicinis (Antiballomena Græci uocant, quidā succidanea Latīnē,) libellus chartā fere implens, Iul. Martiano Rota interprete. Eundē olim Petrus Valla Placentinus tr. sed parum feliciter. Nos quoq; olim interpretati sumus & scholia addidimus. Eum quidē libellū non esse genuinum Galenī, facile appetit. Reperitur idem cum Pauli Aeginætæ librīs, & in uarijs manuscriptis exemplarib; plurimū diuersus atq; corruptus. Item in Epitome Andr. Lacunæ.

De purgantium medicamentorum facultate libellus (chartæ unius) Iul. Martiano Rota interprete. Eundē olim Io. Polltus & Io. Guinterius tr. Diuersus ab hoc est qui inter spurijs habetur. De catharticis liber. † Vide mox circa finem mentionis librorum de antidotis.

De Theriaca ad Pisonem liber, Iul. Martiano Rota interprete: prius etiam Io. Guinterius uerterat. Chartæ sunt quatuor cum triente. Continet autem pleraq; etiā alia cognitu digna & iucunda, quod ad historiam serpentium & uenenorum attinet. Est in antiquis translationib. qui de cōmoditatib. theriacæ inscribitur libellus, fragmentum librī de Theriaca ad Pisonem. † Vide mox circa finem mentionis librorum de antidotis.

De usu Theriacæ liber ad Pamphylianū, nō genuinus Galeni, Iulio Martiano Rota interprete. charta dimidia cum triete. Eundem olim Joach. Camerarijs tr. ¶ In veteri uersione hic liber nō teſte

## CATALOGVS PRIMVS, SIVE

recte inscribitur ad Pamphilum, paucis in principio & fine omissis. Andreas Lacuna quidem in Compendio suo scribit, quae in hoc libello habeantur, ea omnia libro qui ad Pisonem inscribitur, longe cumulatiora inesse. Ego uero olim utrisque collatis, multa quidem eadem deprehendi, interesse tamen nonnihil, ita ut opera & preium facturus uideretur, qui simul utrumque unam cum libro primo de antidotis in unam continuam tractationem coniungeret, ita ut nihil repeteretur, & pugnantia quaedam conciliarentur. † Vide mox sub finem mentionis librorum de antidotis.

De antidotis libri duo, Iulio Martiano Rota interprete. Eosdem olim Io. Guinterius tr. Antidotis quasdam excerptas Latino carmine Ioachimus Camerarius reddidit, ut Galen An-dromachi, Theriacam Antiochi, &c. ¶ Primus huius uoluminis liber, multa habet communia cum libro de Theriaca ad Pisonem. (Lege quae proxime retro scripta sunt.) Instituit autem Theriacae compositionem, & omnium quibus conficitur delectum apparatumque copiosè tradit. Posterior est de multis alijs ueterum antidotis, Aelij Galli, Aphrodæ, Apollonij, Myos, Andromachi, Asclepiadis, Damocratis, Nicostrati. † Quod ordinem attinet, hos libros de antidotis, forte praestabit subiecto libris de compositione medic. secundum genera: sicut & præcedentes duos de Theriaca: & illum qui est de purgantium medicamentorum facultate. Vide inferius in mentione librorum de composit. medic. sec. genera.

De compositione medicamentorum localium libri vii. à Iano Cornario conuersi: & rursus à Nic. Macchello d.e. Eandem interpretatione ad fidem uariorum exemplariorum emendata Gul. Roulius publicauit Lugduni anno 1549 in 16. ¶ Iani Cornarij quidem etiam iusti & doctissimi commentarij in hos libros cōscripti extant, una cum translatione eiusdem seorsim Basileæ in officina Frobenniana excusi. Nos olim particularib. medicamentis relictis, præter pauca præstantiora & à GALENO laudata, uniuersalem doctrinam in hisce libris contentam, ceu compendio eorum confecto, seorsim edidimus. At contraria libellus de remedij paratu facilibus, horum librorum ueluti Epitome est, uniuersalibus omissis: quamobrem hoc loco reponendum fuerat, potius quam inter Therapeuticos. ¶ Hoc opus Arabice Miamir appellant in antiquis translationibus. Explicantur autem in eo medicamenta idonea ad diuersos morbos, secundum locos, id est, humani corporis partes à capite ad pedes: eaque nō solū GALENO usitata, sed ex plurimis clarissimisque ante ipsum medicis repetita, ut Archigene, Andromacho, Asclepiade, Apollonio, Aenea, Charixeno, Critone, Cleopatra, Damocrate, Hera & alijs. † Ianus Cornarius hos libros ultimæ lectionis, & omniū ipsius scriptorum postremos existimauit. Ego Syluij & Montani ordinem potius approbarim.

De compositione medicamentorum per genera libri vii. Ioh. Guinterio interprete, denuò ab Aug. Gadaldino d.e. ¶ Io. Fr. Rota scripsit de introducendis Græcorum medicamentis librum, qui in GALENI de cōpositiōe medicamentorum secundum genera librum primū ueluti Commentarius est. Ego in hoc opere idem præstigi, quod paulò ante in libris de cōpositione med. secundum locos à me factū dixi: Hoc est, Compendiū confeci particularib. medicamentis omissis, præter pauca præstantiora & à GALENO laudata. ¶ His libris GALENVS ea medicamenta cōponere docet, quae foris applicantur ad quamvis unionis solutionem, ut sunt uaria emplastra, quorū alba in primo libro, alia diuersorum colorum in secundo traduntur. Tertius totus neruorum uulnra curat. Quintus emplastra habet polychresta: quae multis conueniunt affectibus, & præter cætera ulceribus curatu difficultibus opitulantur: sed omnia particularia, nihil uniuersale. Sextus etiam emplastra polychresta continent, quae simul ad alia multa singulatim faciunt, tum ad particulas putrescentes, quae differunt ab ulceribus, quae Græci dystherapeuta proprie, id est, curatu difficultia uocant. Ultimus, de malagmatis, quae duras partes emolliunt: de chalaisticis, quae tensionē relaxant: postremo de acopis & myracopis, quae ad lassitudines, neruorumque affectus cōueniunt. In his libris Compositiones recensentur ueterum medicorum, Attali, Andromachi, Asclepiadis, Archigenis, Critonis, Damocratis iambicæ, Heræ, Heraclidae, & Philoxeni: sed aliorum paucæ: plures Heræ, Critonis & Damocratis: plurimæ Andromachi & Asclepiadis. Supersunt autem non conscriptæ unū in locum à GALENO, multæ adhuc medicamentorum formæ: quas forte GALENVS uel ideo omisit, quod partim in libris de Compositione medicamentorum sparsim multas exposuerit, ita ut eas in unum colligere non sit difficile: partim minus necessarias existimari: uel quoniam illa tantum quae foris adhibentur remedia, ad quamvis unionis solutionem, cui nullus in corpore nostro certus est locus, in his libris describēda sibi proposuisset. Ego ut plena perfectaque pharmorum, præsertim compositorum diuisio habeatur, formam eorum nullam omittendam censuerim: & primum in hac secundum genera formarum diuisione, agendum esse de illis, quae foris adhibentur: ut sunt quae GALENVS in his vii. libris descripsit: & insuper trochisci quidam, pulueres, smegmata, dropaces & sinapisni, inunctiones oris, collyria & anacollemata, olea & unguenta, œnantharia, thymiamata, sedis inunctiones, epomphalia, balani, pessi: enemata (nisi quis horum quædam malit adnumerare ijs quae intrò sumuntur: quorū nomine ego illa tantum intelligo quæ bibuntur aut deglutiuntur.) & alia quædam. Quanquam enim ex his nonnulla uni tantum corporis parti admoueantur, pro diuersis tamen eiusdem loci affectibus uarie componuntur: quamobrem ad compositiones secundum genera, non autem secundum locos referri debent. Postea de illis

## ENVMERATIO LIBRORVM GALENI.

de illis quæ intra corpus sumuntur, ut sunt: potionēs diuersæ non purgantes: deinde purgat̄es tum potionēs tum aliæ formæ, ut antidotū sacræ, catapotia: Et His uero adiunxerim etiam simplicium purgantium tractationē, & omnem illorum qui purgentur curam. Item antidotū non purgantes, ut quæ in libris duobus de antidotis describuntur: quibus etiam duos de theriaca subiecerim, tum uomitoria, simplicia & composita, cum tota elleborisim ratione: trochisci quidam, & alia: ut Paulus Aegineta lib. 7. post simplicia medicamenta exposita, ferè digessit. Cuīus libris quæ defunt, supplebunt Aetius, Actuarius, Mesues, Nic. Myrep̄sus: & ex recentioribus, Iac. Syluius, Leon. Fuchsiius, Cronenburgius, qui Antidotaria uel dispensatoria uulgò dicta, reliquerunt, de quibus nunc non est dīcendi locus.

De ponderibus & mensuris GALENO adscriptus liber, Aug. Gadaldino interprete. Eudem Janus Cornarius tr. ¶ Andreas Lacuna Compendio suo operum GALENI subiunxit libellum de ponderibus & mensuris, ex GALENO & alijs excerptū cum obseruationib⁹ proprijs.

### LIBRI QVI EXPLICANT SANGVINIS DETRACTIO- nem per scarificationem, cucurbitulas, hirudines & phlebotomiam.

**D**E hirudinibus, reuulsione, Cucurbitula, cutis concisione, siue scarificatione liber, Ferdinandu do Balamio interprete. Eudem Cornarius quoq; & Theodoricus Gerardus tr.

Oribasij de Cucurbitulis, scarificatione, hirudinibus, deriuatione & reuulsione sermo in septimo & octauo Medicinal. Collect. ad Julianum Imperat. lib. Aug. Gadaldino interprete. Et hæc quidē, que Oribasius ex Galeno & alijs ueteribus (nēpe Antyllo, Herodoto, Apollonio & Memachō) doctorū hominū cōsilio huc adiecta sunt, cum ut plenior his de rebus doctrina habeatur: tum ut conferendo an omnia hæc, quæ Galeno adscribuntur, reuera ipsius sint, cognoscatur.

De uenæ sectione aduersus Erasistratum liber, à Iosepho Tectandro tr. d. e. ¶ Excudit hunc librum Lugduni seorsim coniunctum cum sequente aduersus Erasistrateos cum adnotamentis ad margines Gul. Rouillius anno 1549. in 16. † De ordine & titulo huius & sequentis librorum, lege paulo superius in mentio ne libri de hirudinibus. ¶ Hunc cum duobus sequentibus libris, GALENVS in libello de libris proprijs uelutī tres unius uoluminis partes numerat.

De uenæ sectione aduersus Erasistrateos, qui Romæ degebant, liber, eodem Iosepho Tectando interprete, d. e. ¶ Vide proximè retrò, ea omnia, quæ cum libro de uenæ sectione aduersus Erasistratū scripta sunt. Hunc librum de uenæ sectione satis intelligi posse, nisi ab illo qui prius libros aduersus Erasistratum & Erasistrateos diligenter perlegerit, Tectander interpretes negat.

De curandī ratione per sanguinis missionem liber, Theodorico Gerardo interprete, ab Aug. Gadaldino d.e. Eudem Leonhartus Fuchsiius Commentarijs illustratum, ex sua etiam interpretatione, ni fallor, edidit. Item Gallico sermone à se cōuersum Petrus Toletus. In eundem Parisijs olim diuulgata est tabula, charta basilica i. unā cum tabulis sex in libros de morbis & symptomis. Leon. Fuchsij: unde hanc quoq; eiusdem authoris esse suspicor.

### LIBRI THERAPEUTICI.

**H**is continentur, Curandī methodus, tum diffusè, tum breuiter descripta: Vetus ratio in morbis acutis: Singulorum morborum facile parada remedia: Priuata quorundam morborum curatio: Deniq; Chirurgiæ constitutio.

De methodo medendi libri xiij. Thoma Linacro interprete, ab Aug. Gadaldino d.e. Eandem translationem Gul. Rouillius excudit Lugduni anno 1549. in 16. cum annotationibus com pluribus in margine, & divisione capitum cum argumentis. ¶ Horum librorum uelutī Epitome sunt duo illi, quos de arte curatiua ad Glauconem GALENVS cōdidit. Io. Agricola Hammannijs edidit Scholia copiosa in Methodū medendi GALENI, impressa Augustæ Vindelicorum anno 1534. in 8. chartis 38. Hieronimi Cardani liber quintus contradictionum, ut ipse prefatur, continet aliquot contrarietates extremorum aliquot artis curatiue libellorum. Tabulas curationum & indicationum ex his libris Io. Bocaudus edidit.

De arte curatiua ad Glauconem libri duo, Nic. Leoniceno interprete, ab Aug. Gadaldino d.e. Eandem translationē Gul. Rouillius excudit Lugduni in 16. anno 1549. cum accuratissimis annotationibus ex Veneto exemplari exceptis. Quae in fine huius libri de curatione podagrī affectus in ueterem translationem irrepserunt, non GALENI, sed Alexādrī Tralliani sunt. Hi libri uelutī Epitome sunt librorum quatuordecim methodi curatiua. Stephanus quidē Atheniensis Philosophus, scripsit græce Explanations eruditas in GALENI priorem librum Therapeuticum ad Glauconem: quos Aug. Gadaldinus Latinas fecit, unā cum GALENI contextu, & Scholia addidit, quibus castigationes à se factas explicat. Junta Venetijs excuderūt anno 1554. in 8. Martinus Acakia Catalaunensis medicus uertit libros ij. de ratione curandi ad Glauconem, & Commentarios addidit. Gul. Rouillius typis impressit Lugduni 1551. in 16. & prius Parisijs Simon Colinæus anno 1543. in 4. charta basilica. Hier. Cardani liber quartus contradictionum continet contrarietates aliquas ex primo libro GALENI ad Glauconem.

Quos purgare cōueniat, quibus medicamentis, & quo tempore, libellus, Iulio Martiano Rota interprete:

## CATALOGVS PRIMVS, SIVE

interprete. Est autem caput uigesimum tertium libri septimi medicinalium Collectionum Oriba si ad Julianum imperatorem. Eudem prius tr. Io. Guinterius, & Io. Polltus.

In libros Hippocratis de uictus ratione in morbis acutis commentarij quatuor, Io. Vasseo interprete, ab Aug. Gadaldino d.e. Eandem interpretationem Gul. Rouillius publicauit Lugduni anno 1349. in 16. cum scholijs per margines. ¶ In primo libro agit de ptissana. In secundo, exemplo doloris lateris agit de ui ac usu fomentorum: deinde de repentina tum in uictu, tum in reliquis rebus mutatione, fusè late que pertractat. In tertio exponit uini, mulsa, oxymelitis, aquæ & balneorum facultatem. Quartus liber à quopiam ex Hippocratis discipulis, multis diuersisq; theorematis, inordinateq; dispositis conflatus est: quorum plurima ad acutos morbos uidentur pertinere. Scripti & Symphorianus Champegius Epitomen quandam commentariorum G A L E N I in hos libros, & Isagogen. Vide in Catalogo II. in Symphoriano.

De remedij paratu facilibus liber, Huberto Barlando interprete, à Junio Paulo Crasso accuratestisimè castigatus, addito etiam principio quod antea desiderabatur. Idem liber à Io. Guinterio tr. est, & impressus Parisijs anno 1543. in 16. apud Iacobum Gazellum ex prelectionibus Iac. Hollerij medici, à mendis quam plurimis repurgatus, & marginalibus adnotatiunculis illustratus. ¶ Hunc librū G A L E N I esse cōsciunt eruditī, quoniam ad Galenī doctrinam phrasimq; proximè accedit. Iac. Syluius sine inscriptione & principio librum hunc extare scribit: sed principium, ut dictum est, Junius Paulus Crassus reposuit. Est autem ueluti Epitome in particularibus remedij, decem librorum de compositione medicamentorum secundum locos. Et Andreas Lacuna in Compendio suo, post libros de compositione medic. secundum locos: Ex industria (inquit) omisimus libellum de facilibus paratu remedij, quod omnia quae in illo habentur, reperiantur in hisce commentarijs longè cumulatiora. † Hæc cum ita se habeant, non debuit hic liber, ut neq; sequentes duo, cum Therapeuticis coniungi, & minus quidem quam ipsi de cōpositione secundum locos libri: in quibus etiam uniuersalia quedam ad morbos curandos traduntur, que tamen multò pauciora sunt quam particularia pharmaca. In his uero paratu facilium med. libris, particularia sola sunt, in uniuersum nihil. Itaq; suprà statim post libros de compositione medic. sec. locos, inter illos qui materiam medico suggerunt, reponi debuerant: id quod Syluius fecit, qui tamen non statim post libros De compositione med. sec. loc. sed multò ante ipsorum meminit.

De remedij paratu facilibus ad Claudianum Solonem Archiatrum liber, spurius, à Junio Pau lo Crasso tr. ¶ Hic liber, me iudice, inquit Montanus, spurius est: sed quam plurima in eo lectio ne digna obseruantur. Iacobus Syluius de hoc libro, diuisus est, inquit, duobus libris Græcis, in unum coactus, sed in principio quam Græcus auctior in ueteri uersione, tamen lectione dignus. Sic ille. Atqui in translatione Junii Pauli Crassi, nō in principio, sed fine huius libri, plurima sunt adiecta, quae Græcè non extant. Papiae olim cum Leonardi Legij libris, excusus est liber de facie parabilibus med. ad Solonem, Nic. Rhegio interprete, cui cum Græco impresso nec in principio, nec fine, nec medio satis conuenit.

De remedij paratu facilib. liber tertius, spurius, Junio Paulo Crasso interprete. Hunc superio ris ad Solonē uoluminis librū secundū faciūt aliqui. Mihi authores diuersi uidentur, in posteriore quidē noua & barbara uocabula insunt, in priore non item, &c. Ordinē ac iudiciū in eo desideramus. Memorantur in eo sancti Anargyri, unde ab aliquo Christiano cōsarcinatum esse appetet.

Documentum de puero epileptico, Nic. Leonico Thomæo interprete. Eudem & Augustinus Riccus transtulit.

In librum de natura humana Commentarius secundus, à Nic. Macchello medico Mutinensi tr. & ab eodem diligentius recognitus. Eudem Hermannus Crusius uertit. Est autem liber hic non genuinus Hippocratis, & in plerisq; reprehensibilis. Vide suprà in mentione libri pri mi de natura hum. inter Physiologicos.

De incantatione, adiuratione & suspensione liber, G A L E N O falsò adscriptus. Græcè nō habetur. Reperitur hic liber, etiam inter Constantini monachi Cassinensis opera medica: idemq; in ter Arnoldi Villanouani libros, hoc titulo: liber Costabē Lucæ de Physicis ligaturis, trāslatus ab Arnoldo Villanou. ex Græco in Latinū. Multū tamē differunt tum sententiae quedā, tum uerba.

De oculis liber spurius, Demetrio Græco interprete, à uarijs mendis expurgatus. Græcum exemplar desideratur. Montanus quoq; hunc spuriū esse iudicat: quāuis enim (inquit) librum de curatione oculorum à se scriptum lib. 14. Therapeuticæ methodi G A L E N V S affirmet, non is tamen ordo doctrinæ, aut ea dicēdi phrasis, in hoc ipso qui extat agnoscitur: ut propterea sit ne G A L E N I, aliqua mihi suspicio suboriatur. ¶ In libello de libris proprijs, librum paruum de di gnoscendis oculorum morbis à se scriptum testatur in gratiam ophthalmici medici iuuenis.

De renūm affectuum dignotione atque medela liber spurius, Christophoro Heyl interprete. Montanus hunc quoq; inter spurijs censet.

In librum Hippocratis de ijs quae in Medicatrina (*κατ' ιντρεῖον*) fiunt, Commentarij tres, Io. Bernardo Feliciano interprete. Hunc librum, pro introducendis scriptum esse G A L E N V S affir mat. Est autem Chirurgicus.

## ENVMERATIO LIBRORVM GALENI.

In librum Hippocratis de fracturis Commentarij tres à Io. Bernardo Feliciano tr.

In libru Hippocratis de articulis Cōmētarij quatuor, eodē Io. Bernardo Feliciano interprete:

De fascijs liber G A L E N I Vido Vido interprete: impressus etiā prius cū alijs Chirurgicis Vidiū operibus, sicuti & sequentes duo. ¶ Postremi libri (inquit Vidiū) de fascijs, de laqueis, de machinamētis, non reperiuntur (quod sciam) nīsi in eo codice, cuius mentionē fecimus in episto la ad regem, in quo sunt tres auctores de fascijs, G A L E N V S, Soranus, & Heliodorus: ē quibus ego Latinū feci G A L E N V M duntaxat. nam qui hūc norit, reliquos planè norit. sed an eiusmodi liber germanus sit Galeni, dubitare nemo debet. nam uel ipso procēmio conuincitur. atq; hic est ille liber, quem ipse pollicitus est in secūdo commentario de officina medici. Verū desiderantur, in Galeno quādam, quāe placuit accepta à Sorano & Heliodoro (antiquioribus Galeno) in hunc librum inserere, &c.

Oribasij de laqueis liber ex Heracle, ab eodē Vido tr. Laudatur (inquit Vidiū) hic liber de laqueis à Galeno in libro de fascijs: quanuis alibi quoq; mentionē facit laqueorū, qui hoc opere cōtinentur. Refertur tamen hic liber in Grēco exemplo ad Oribasij auctore. Quicquid est, opus utilissimū est: sine quo multa sunt quāe in medicinali arte nec cōprehēdi, nec p̄stari possunt, &c.

Oribasij ex Heliodoro liber de machinamētis, (ex Hippocrate, Galeno, & alijs collecta,) Vido Vido interprete. Desunt autem aliqua machinamenta, quāe auctor inter initia commemorat.

## LIBRI APHORISTICI, IN QVIBVS BREVES RERVM

uariarum determinationes traduntur: quārum perceptio superiorum librorum lectionem requirit.

Montanus hos libros extra ordinem classium ultimo loco adiungere uoluit, una  
cum Gloſſis .i. obſoletiſ uocabulis Hippocratis.

**A** Phorismos Hippocratis cum Commentarijs Galeni, Nic. Leoniceno Vicentino interprete, ex plurium antiquorum codicum collatione à Iul. Martiano Rota & Aug. Gadaldino, d.e. Additi sunt quoq; duo aphorismi in fine septimae particulæ, eorumq; explanatio es: quārū prima quāe Galeni est, in antiquis etiā translationib. legitur; secunda ( quāe quāuis Galeno adscribitur, minime tamen ipsius esse censenda est,) recens ē Grēco in Latinū sermonē est conuersa. Philothei etiam explanatio in primū ex his duob. aphorismis adiecta est. In Frobeniana editione operū Galeni, euulgata anno 1549. interpretatio eadē Leoniceni habetur, à Iulio Martiano Rota primum, deinde etiā Iano Cornario recognita. ¶ Ant. Musæ Brasavoli in octo libros Aphorismorum Hippocratis cum cōmentarijs Galeni, Commentaria & annotationes, cū duobus indicibus copiosissimis, excusa Basileę in officina Frobeniana anno 1541. in folio, magno uolumine. Seruat aut̄ hunc ordinem, post unumquemq; aphorismū, sententiā totius breuiter explicat; deinde singulas eius particulæ cōtemplatur, quas Grēcē & Latinē recitat. Tertiò Galeni cōmentaria ponit, quibus sua in Galenum tum annotamēta ut circa dictiones & electionē, tum cōmentaria, copiosissima subiicit: neq; suos tantum cogitationes, & ex diuerſis Hippocratis, Galeni, ac Diſcoridis locis, plurima ad rem omnem illustrandā depromit: sed Philothei etiam, qui Grēcē post Galenum aphorismos enarrauit, expositiones passim recitat Grēcē, & mox transfert: Sicut & auctoris cōmentariorū, quāe falso tribuuntur Oribasio, &c. Hippocratis Aphorismi Grēcē & Latinē Nic. Leoniceno interprete una cū Galeni cōmentarijs, ad fidem Veneti exemplaris recogniti, cū adnotamentis marginalibus, publicati sunt Lugduni apud Gul. Rouilliū anno 1549. in 16. Io. Morisotus medicus edidit Hippocratis aphorismorum genuinā lectionem Grēcē: & eorundē fidelē interpretationē, cū Galeni censura in eos omneis, qui minus erant absoluti. His accesserunt Adnotationes in Cornelij Celsi loca quādā ex aphorismis translata, &c. Leonhardtus Fuchsius Hippocratis aphorismos tr. & cōmentarijs illustrauit: adiectis Annotationibus, in quib. quotquot sunt in Galeni Cōmentarijs loci difficiles explicantur. Io. Oporinus excudit Basileę anno 1544. in 4. Aphorismorū Hippocratis enarratores, ueteres & recentiores, enumerātur à Brasavolo ab initio suorū Commentariorū in eosdē: ut Herophilus, Bacchius, Heraclides, Zeuxis, Marinus: Ab Oribasio nominantur, Pelops, &c. Ex recentioribus Barbaris interpretationi sunt aphorismos, Jacobus Forluiensis, Hugo Senēsis, Sermoneta, & alijs quidā. Extant & Symphoriani Campegi in Galeni cōmentarios super aphorismis Epitome & Ifagoge. Vide Catalogo 11. in Symphoriano. ¶ Aphorismorū argumentū maximē uariū est. Plurima eīs insunt ad prænotionē predicationemq; maxime idonea: quēdā ad Therapeuticæ partes, Diæticē, Chirurgicalen, Pharmaceuticen: alia nō pauca ad alias medicinæ partes pertinent. † Aphorismos aliq; non recte Ifagogicis libris adscripsiſerunt ueluti primæ lectionis, cū sint potius postremæ.

Aduersus Lycum, quōd nihil in eo aphorismo Hippocrates peccarit, cuius initīū est: Qui crescunt, plurimum habent caloris innati, liber, Iulio Alexandrino interprete, ab ipso recognitus.

Contra ea quāe à Iuliano in Hippocratis aphorismos dicta sunt, liber, ab eodem Iulio Alexandrino tr. & recognitus.

Linguarum, hoc est, obſoletarum uocum Hippocratis explanatio ad Teuthram, Mario Nizolio interprete. Easdem Ianus Cornarius tr. ¶ Eadem omnia cū suis interpretationibus Val-

B † rinus

## CATALOGVS PRIMVS, SIVE

rinus in Lexicon Græcum suum transtulisse obseruauimus, & quædam emendatiū scripsisse.  
Audio & Erotianum quendam ueterem Græcum scriptorem hoc argumentum tractasse, eiusqe librum Genevæ ab Hen. Stephano publicatum iri.

GALENO AD SCRIPti LIBRI SPVRII: QVI VA-  
riam artis medicæ farraginem ex uarijs auctoribus excerptam continentem,  
optimo quo fieri potuit ordine, sunt dispositi, & in u-  
num corpus redacti.

**E**X spurijs libris utiliores, quiqe nihil superflui cōtinent, inter legitimos Galeni digessit Mon-  
tanus: minus uerò utiles ei uisos, & qui uel ad artem medicam non pertinent, uel ex legitimis  
Galeni libris decerpiti sint, & frustra repetiti, huc unum in locum reiecit. Esse tamen ex his quoqe  
nonnullos minime inutiles, nos ostendemus. Cæterum Spurij libri à legitimis cum alijs, tum ex  
recentioribus quorundam medicamentorū uocabulis, facile discernuntur: ut sunt Santali, Cam-  
phora, Galanga, &c. tum authorum recentiorum uel Arabum nominibus: tum aliqua supersti-  
tione, à qua Galenus semper abhorruit: ut ibi in libro de dynamidijs fit mentio de oratione Do-  
minica in colligendo carduo, &c.

De historia philosophica liber, à Julio Martiano Rota tr. Eadem seorsim excusa est Coloniae  
anno 1543. in 8. Andrea Lacuna interprete: qui in præfatione scribit, extare etiamnum ueteris cu-  
iusdam interpretis translationem huius libri, sed barbarem & infelicem: quam Martianus Rota  
secutus sit, ita ut longè elegantiorem reddiderit, adiutum Græcis codicibus impressis, Aldino &  
Basilensi: quæ ita mutila & depravata sint, ut aliquando diuinare coactus Martianus, de suo plu-  
rima interseruerit, philosophica quidem illa & optima, sed præter fidem interpretis officium, se ue-  
rò nactum exemplar antiquissimum manu scriptum, multo emaculatus impressis, nouam inter-  
pretationem instituisse huius libri, \* Cuius lectio ( inquit ) non minus poetis & oratoribus, qe  
medicis & philosophis, utilis ac necessaria fuerit. Sic ille. ¶ Author huius libri quisquis est, uete-  
rum philosophorum circiter nonaginta, quos ordine ab initio Lacuna enumerat, opiniones reci-  
tat, per capita uiginti octo supra centum: quæ pleraqe ( paucis ab initio excerptis ) Physici argu-  
menti sunt: sicuti etiam Plutarchi de placitis philosophorū libri quinque, ( quos Guil. Budæus La-  
tinus fecit ) in quibus plurima eadem, eodemqe ordine & iisdem uerbis tractantur ( & utriusqe uolu-  
minis parum differens moles est ) ita ut literatus aliquis ihs conferendis, inqe nouum uolumen re-  
digendis, utilem proculdubio operam rei Physicæ studiosis nauaret: & simul librum utrumqe ex  
altero emendaret. Sunt sane hi libri Physicorum dogmatum plerorumqe omnium Epitome.

Prognostica de infirmorum decubitu, ex Mathematica scientia ( siue astrologia ) ad Aphrodi-  
sum, Iosepho Struthio interprete. Liber est anilium fabularum, & superstitionis plenus. Eun-  
dem Io. Morisotus incredibili labore recognitum Latinitate donauit: quæ eius interpretatio an  
publicata sit, nescio.

De partibus artis medicinæ liber, ex ueteri Nicolai Regini translatione restitutus. Eundem  
Victor Trincauelius tr. Græcè quidem nondum est excusus, quod sciam. Liber est paulò maior  
charta, qui nisi Galeni fuerit, eo tamen auctore dignus uidetur.

De Dynamidijs liber, sine principio, ad Paternianū, chartam dīmidiam non excedens. Hu-  
ius quisquis est author ( methodicus forte aliquis ) generales medicamīnum facultates, ( ut sunt  
hypnotica, peptica, eustomacha, styptica, &c. ) nominat ac interpretatur breuissime. Monta-  
nus putat πολὺ τὰ μέλαχα οἰνοπήρη inscribi oportere. In libris quidem Galeni, qui facultates medica-  
mentorum simplicium exponunt, eadem omnia uerius & absolutius prodita inueniuntur. ¶ lac.  
Sylvius in ueteri uersione librum de generalibus medicamīnum facultatibus, longissimum haberi  
tradit: quem ego nondum uidi.

De dynamidijs liber, magna ex parte ex Aetio desumptus, plurimi in locis correctus. Men-  
dis quidem scatet. dedicatus est Mecænati. Tractat autem primò quædam paucis de quatuor hu-  
moribus, & signis affectuum in quatuor præcipuis partibus, corporis, ex epistola Dioclis, &c. De-  
inde purgantibus medicamentis enumeratis, subiungit quasdam cōpositiones medicinales. Po-  
stremò ad omne morborum genus remedia ponit, à capite ad pedes ferè, usqe ad caput 218. dein-  
de ad communes quosdam morbos: quamvis & alia quædam non satis bono ordine interponū-  
tur. Insunt autem uocabula quædam recentiora, ut amentum dulce, morgellina, Carduncellus, e-  
sula, Caryophyllata, &c. & aliquando superstitiones, ut cum in colligendo carduo mentionem fa-  
cit orationis dominicæ. Implet huius libri folia chartas octo cum dīmidia fere.

De spermate liber, summis & maximis erroribus refertus, cōstat chartis duabus cum dīmidio.  
Circa conceptionē & corporis humani mutationes, mathematica & astrologia quædā proponit.

Denatura & ordine cuiuslibet corporis liber ordine & iudicio carens, paulo minor trib. char-  
tæ quadratibus. Scribit autem, quisquis est eius author, ab initio de natura quatuor humorum, &  
partium corporis humani in prima formatione, &c. postea de cognoscēdis febribus, Innomina-  
tus quidam ex libris Hippocratis transtulisse se dicit in Latinum sermonem, ad nepotem suum.

De ana-